


C
TH
Pi
ad I

SO
PO
Jmm
VI
Xen
à

Anno
A

P
Typis

COR SANCTVM THEOPHILI MARIANI,

Piis virtutum affectibus
ad Deum Deique Matrem
æstuans,

SODALITATI POSNANIENSI,

Immaculatè Conceptæ
VIRGINIS DEIPARÆ.
Xenij loco præsentatum

à P. IOANNE MORAWSKI
Societatis IESV.

Anno Salutis ineunte 1675.
Reimpressum 1698.

POSNANIÆ,
Typis Collegii Societ: IESV.

APPROBATIO
Perillustris & Reverendi Ordinarij.

Imprimatur

ALBERTUS DOBRZELEWSKI, Præpositus Infula: Lascensis Archidiaconus Posnaniensis Scholasticus Vladisl: Gnesnensis Lancici: Canon: S. R. M. Secretarius Vicarius in Spiritualibus & Officialis *Posnaniensis* Generalis.

FACVLTAS
R. P. Provincialis Poloniæ.

Concedo
ut imprimatur

CRACOVIÆ
8. Decemb: 1674.

STANISLAVS BRANICKI.

ACTUS
Virtutum Theologicarum.

ACTUS FIDEI

PRima & infallibilis Veritas DEUS meus, qui nec falli nec 2. Cor.
fallere potes, *captivo intellectum meũ in obsequium fidei,* & super omnia & singula quæ in Ecclesia Catholica revelâsti. 10.
Credo quòd sis, & quòd remunerator sis. Credo omnia quæ revelasti de tua Unitate & Trinitate, de Incarnatione VERBI Divini de Sacramentis, de Ecclesia, eiusq; Capite, de cultu San-

ctorum, de merito bonorum operum, de Purgatorio &c.

Protestor coram te, quòd in hac, & ex hac fide, vivere, operari & mori volo. Imò propter hanc fidem defendendam, confirmandam, dilatandam, volo mori, volo omnium Martyrum pati tormenta, carceres, gladios, rotas, ignes, cruces, e-

S. Igna: quuleos, omnia *ista super me ve-*
Mar: *niant, tantùm ut te DEO meo fruar.*

In fide vivo, vivamq; usque ad mortem, *Filii DEI, qui dile-*
Gal. 1. *xit me, & tradidit semetipsũ pro me. Tenet me in hac fide consensio populorum atq; gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetusta-*
August: *te firmata. Tenet ab ipsa Sede Pe-*
contra *tri Apostoli, cui pascendas suas*
Epist: *oves Dominus commendavit, usq;*
fund. *ad præsentẽ Episcopatũ, successio*

Sacerdotum. Tenet tot millionum Martyrum ſanguine conſignata confeſſio.

Itaq; omnia perfidiæ monſtra, Atheiſmum, Paganiſmum, Iudaiſmum, Arianiſmum, Lutheraniſmum, Calviniſmum, & omnes hæreſes ab Eccleſia damnata, ego pariter damno, execror, & anathematizo.

Credo Domine, adjuva incredulitatem meam, Domine adauge nobis fidem. Da fidem vivam, quæ per dilectionem operatur. Marc 9. Luc. 17.

ACTVS SPEI.

DEUS *meus miſericordia mea, Spes mea ab uberibus Matris meæ,* in te jactatio mea & omnis ſpes mea. Spero in te, & à te te ipſum. Spero per te, & per merita IESU Chriſti Domini noſtri veniam, gratiam, gloriam, & omnia bona temporalia Pſal. 58. & 21.

& æterna. Spero quia bonus es nobis, quia es Omnipotens, quia fidelis es in promissis. Spero in te, quia maior est bonitas tua, quàm malitia mea, quia *misericordiæ tuæ superexaltat iudiciū.*
Iaci 2. Spero quia *si Filium tuum Vni-*
Rom. 8 *genitum nobis donâsti, quomodo non omnia nobis cum eo donabis? Non timebo mala, quoniam mecū es. Omnia possum in te qui me confortas Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator me-*
Ps. 117.*us. O Domine in te confido, non*
117. 34.*erubescam.*

ACTVS TIMORIS DEI.

Ps. 93. DEUS *ultionum Deus terribi-*
95. *lis super omnes Deos,* quis nō timeat te cùm *columnæ cæli contremiscunt & pavent ad nutum*
Iob. 26.*tuum?* Timeo igitur te Domine DEUS

DEUS meus, imprimis *timore reverentiali*, admirando te supra me existenrem & cognoscendo subjectionem meam secundum infinitam à te distantiam, recedo & resilio in abyssum nihili mei. Timeo etiam te *timore pænali*, non tanquam id quod timendum est, sed tanquam id à quo provenit quidquid timendum est, *quia horrendum est incidere in manus tuas.* Timeo te ut immittentem malum pœnæ sed multò magis timeo te ut permittentem malum culpæ. Timeo te *timore servili*, ut servus Dominum & reus iudicem, *ne crucier in gehenna.* Timeo te *timore mercenarij*, ut operarius remuneratorem, *ne excludar à gloria.* Sed potissimûm timeo te *timore filiali*, ut filius Patrem, *ne deserar à gratia.* Domine dū veneris iudicare, noli me con-

Hebre: 10.

Bernar:

Psal: damnare. *Ne projicias me à fa-*
50. *cie tua, & Spiritum Sanctum tu-*
um ne auferas à me. Ne per-
Psal: mittas me separari à te. *Confige*
118. *timore carnes meas, ut à iudiciis*
tuis timeam, utq; cum timore &
tremore operer salutem me-
am.

S. Franciscus. *ACTUS AMORIS DEI.*

DEUS *meus & omnia*, summum ac infinitum bonum, amo te totô me, & totâ mea potentiâ amativâ, sine ulla divisione cordis mei in creaturas; quia es summum bonum, continens modô optimô, omnem possibilem bonitatem, in quamcunque potest ferri amor meus; Amo te supra omnes divitias, & honores, supra omnem sapientiam, & pulchritudinem, potentiam, & excellentiam creatam, supra sanitatem, vi-
tam

tam & me ipsum; quia es summum bonum supra omne bonum.

Amo te ferventissimè, intensissimè & satiabilissimè, & ut dicebat ille amator tuus, *Seraphicè, Marianè, Toeandricè, omnitudinaliter, omnipossibiliter*. Et ideo assumo, mihiq; unio corda amore tuo ardentia omnium Sanctorum hominum & Angelorum, omniumq; creaturarum rationalium possibilium, adeoque Cor ipsius Virginis Deiparæ, & cor Humanitatis Christi, hisq; omnibus te ignitissime amo. Amo te sine modo, sinè mensura, sinè fine; quia es bonum infinitum & immensum. Imò si possibile esset, Vellem te amare infinitè, divinè, quantùm dignus es, quantum amabilis es; sed quia hoc facere non possum, suppleo id de tuis bonis P. Grs. Druzb:

mis, tuumq; amorem divinum qui solus est æqualis amabilitati tuæ, tibi offero, ac peto, ut Tu tuo amore ames te, pro supplendo exili amore meo erga te.

Amo te *amore concupiscentiæ* quia mihi summum bonum es,
Psal: 72. & quia *mihi, adhærere tibi bonum est.* Amo te *amore amicitiæ*, quia tu tibi, & in te summum bonum es, id est, purè propter te ipsum, nullam intendendo mercedem, tam in hac, quam in altera vita.

Amo te *amore unitivo*, & ideo abstraho cor meum ab omni creatura, tibiq; illud & me totum unio, ac in te quantum fieri potest, transformo. *Et quis*
Rom: 8. *me separabit à charitate tua? Neq; mors, neq; vita, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profundum, neq; ulla creatura?*

Amo

Amo te *amore appretiatiuo* & te, tuamq; gratiam plus æstimo, quàm omnia alia bona possibilia creata, quibus omnibus potius privari volo, & omnia mala pœnæ, etiam infernum subire, quàm unum gradum gratiæ tuæ amittere & impedire. *Quid enim mihi est in cælo & præter te quid volo in terra, DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternum?* Psal: 26.

Amo te *amore benevolentiæ*, & gaudeo quod sis id, quod es, gratulorq; tibi de tua Divinitate, de omnibus attributis tuis, de actibus liberis scientiæ & voluntatis tuæ, de personalitatibus, proprietatibus, processionibus Trinitatis tuæ; ac denique de omni gloria tuà extrinseca, quàm habes & habere potes à creaturis. Et protestor coram te, quod si per impossibile à

liquam perfectionem haberem, quâ tu careres, vellem illâ privari, eamq; in te transfundere, ô pelagus omnis boni, DEUS meus.

Hac de causa desidero etiam cum dispendio omnium bonorum & vitæ meæ, ut agnoscaris, ameris, adoreris ab omnibus creaturis rationalibus; in omnibus, super omnia. Desidero item ardentissimè, ô pulchritudo infinita, te videre, te frui per totam æternitatem, idque non ideo, quia hoc mihi bonum est, sed quia tibi magis placet; & ut te magis agnoscam, amem & glorificem. *O quando veniam & apparebo ante faciem*
Pf: 41. *tuam. Cupio dissolvi & esse tecum.*
Phi: 1. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo; me*
Psal: *exspectant justi, donec retribuas*
411. *mihi.*

Inte-

Interim propter amorem tui, nolo tibi unquam dare occasionem displicentiæ, ullô peccatô, etiam veniali. Volo de te sæpe cogitare, sæpe loqui. Volo frequenter ad te aspirare Volo in virtutibus & amore tui semper crescere, volo pro gloria tua, propter te, multa difficilia agere & pati, ad dandum gustum dulcissimo cordi tuo.

O DEUS meus imple amore tuo totam capacitatem cordis mei. Da quod jubes. Diligam te Domine fortitudo mea, amplius & amplius. *Amorem tuum solùm mihi dones, & dives sum satis, dives sum satis.* S. P. Ignatius.

ACTUS CHARITATIS.

proximi propter Deum.

D*EUS pacis & dilectionis* propter te amo, sicut meipsum 2. Cor. 13. a

& amplector in visceribus IESU Christi, omnes proximos meos, idq; ideo, quia in iis relucet imago tua; quia omnes redempti sunt pretioso sanguine Filii DEI; quia hæc est voIoan: 17. 25. luntas tua, ut *omnes simus unum, sicut tu unus es in Trinitate*, quia hoc est, *mandatum novum Redemptoris mei, ut diligamus invicem*. Specialiter amo propter te sicut me ipsum, omnes fideles quia sumus unum corpus, sub uno capite IESU Christi, quia sumus *Cives Sanctorum &* Eph: 2. *domestici DEI*; quia *de uno pane* 1. Cor: 17. *cœlesti participamus*; quia ut spero, nos mutuò in cœlo amabimus æternùm. Amo etiam propter te sicut meipsum omnes inimicos meos, iisq; ex corde condono omnes meas offensas, ut tu Domine dimit-
Act: 7. tas omnia peccata mea. *Domine*
ne

ne statuas illis hoc peccatũ, quod me aliquando offenderint vel contristaverint. *Ignosce illis, non* Luc: 23.
enim sciunt quid faciunt.

His omnibus & singulis proximis meis, omnia opto bona spiritualia & temporalia, quæcunq; mihi opto; iisdemq; nullum opto malum, quod mihi non opto. His omnibus adversa patientibus ex animo compatior, & *fleo cum flentibus*: Rom. 12
Cum his gaudentibus gaudeo, & de omnibus ipsorum bonis congratulor, ut ita sit *omnium* Acto. 4.
nostrum cor unum, & anima una, ad te DEUS meus perfectiùs amandum hic & in æternum.

Actus Virtutum Moralium,

Actus Adorationis & laudis D E I,

MAgne DEUS *Rex Regum*,

Ap. 10. *& Dominus dominantium,* ego vilissima creatura tua, procedens ex abysso utilitatis meæ,
Bernar: *tanquam ex palude sua ranuncula,* audeo comparere ante Majestatem tuam eidemq; obstrepere. Fretus ergo bonitate tua, prosterno me in centrum nihili mei coram te, & recognosco te DEUM ac Dominum meum primum principium & ultimum finem meum, teque toto me, affectu tibi gratissimo, mihi possibili, imò affectu beatifico, Seraphico, Mariano, Theandrico, affectu quo dignus es, supra omnia adoro, laudo, glorifico, benedico, magnifico exalto, & omnes & singulas tuas perfectiones Divinas.

Adoro, laudo, magnifico, exalto; tuam *Asseitatem,* quia tibi te solo sufficis, & à Te es, quidquid es.

Tuam *Immutabilitatem* & im-
mortalitatem, quâ *semper idem* Heb: 1.
es, & anni tui non deficient.

Tuam *Æternitatem* quâ *priùs* Psal. 89.
*quam formaretur orbis & terra,
à sæculo tu es.*

Tuam *Immensitatem*, quâ *cæ-* Ier: 23.
lum & terram imples.

Tuam *Omnipotentiam*, *cui non* Luc: 1.
est impossibile omne Verbum.

Tuam *Sapientiam*, quâ com-
prehendis te ipsum, & omnia
possibilia, præterita, præsentia &
futura, ita ut *omnia sint aper-* Heb: 4.
ta oculis tuis.

Tuam *Voluntatem*, omnesque
ejus virtutes, Charitatem, mise-
ricordiam, justitiam, &c.

Tuam *Bonitatem*, *Pulchritudi-
nem*, *Beatitudinem.*

Tuos *Actus liberos*, *Tuam de
rebus omnibus providentiam, præ-
destinationem electorum, repro-
bationem damnatorum.*

Tuam Admirabilem in Vnitate Trinitatem, Tuas Personalitates, Proprietates, Origines, Relationes, Notiones.

Isaiæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS exercituum plena est omnis terra gloria eius. Bene-*

Apo. 7. *dictio, & claritas & honor DEO nostro in secula seculorum.*

Ps: 56. *Exaltare super cælos DEUS, & super omnem terram gloria tua.* Lauderis, glorificeris ab omnibus, in omnibus, super omnia, in æternum.

ACTUS GRATITUDINIS.

1. Pet. 1 *PAter Misericordiarum & DEUS totius consolationis*, quàm beneficus es universis, & *mise-*

Ps: 44. *rationes tuæ super omnia opera tua*, idcirco, *magnificat te anima mea; quia fecisti mihi* & so-

Luc: 1. mnibus creaturis *magna qui potens es, & Sanctum nomen tuum*,

Sis

Sis ergo benedictus ab omni-
bus creaturis, in omnibus, su-
per omnia, pro omnibus & sin-
gulis donis naturæ, gratiæ & glo-
riæ, collatis in tempore, & in
æternitate conferendis, Sanctis-
simæ Matri Christi, omnibus, &
singulis Angelis & hominibus,
comprehensoribus & viatoribus,
prædestinatis & reprobis, ju-
stis & peccatoribus, ingratis,
infidelibus, damnatis: imò eti-
am pro beneficijs omnium cre-
aturarum irrationalium quæ un-
quam fuerunt, sunt & erunt.
Pro omnibus istis creaturis tuam
beneficentiam & liberalitatem
benedico, tibique gratias ago
toties, quot beneficia illis &
mihi contulisti, & quot confer-
re per totam æternitatem decre-
visti.

Sis benedictus in æternum
pro omnibus & singulis gratijs

naturalibus & supernaturalibus internis & externis, habitualibus & actualibus, universalibus & particularibus.

Sis benedictus pro beneficio creationis, conservationis, cooperationis, exhibito & exhibendo omnibus & singulis creaturis.

Sis benedictus pro Incarnatione VERBI Divini, pro vita, Passione & morte IESU Christi, pro doctrina ejus, consilijs, præceptis, exemplis, miraculis, pro redemptione nostra, pro institutione & usu Sacramentorum, pro fundatione Ecclesiæ ac Religionum.

Sis benedictus pro infusione gratiæ Sanctificantis omniumque virtutum supernaturalium, pro illustrationibus & inspirationibus, excitantibus & adjuvantibus operantibus & co-

ope-

operantibus, prævenientibus, concomitantibus ac ſubſequentibus, Pro concurſu ad actus ſalutares, pro gratia externæ protectionis, pro omnibus miraculis, prophetijs & pro omnibus & ſingulis gratijs, ſive gratis cuicunque datis, ſive gratum facientibus.

Sis benedictus pro prædeſtinatione, Vocatione, Iuſtificatione, glorificatione omnium Electorum.

Sis benedictus pro gloria nominis tui, propagata in cœlo & in terra.

Sis benedictus pro omnibus afflictionibus, perſecutionibus, doloribus, quæ ad caſtigandam mea peccata ut juſtus judex, ſimulque miſericors Pater permiſiſti, aut permittere decreviſti.

Ac denique ſis benedictus pro

omni-

omnibus tuis decretis circa meam vitam, mortem & æternitatem,

Pro his & singulis beneficiis,
Ps: 144 *confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi. Benedic anima mea Do-*
Psal 102 *mino, & noli oblivisci omnes retributiones eius. Qui coronat te in misericordia & miserationibus, & replet in bonis desiderium tu-*
Psal: 33 *um. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Sit Nomen Domini benedi-*
Ps: 111. *ctum, ex hoc nunc & usq; in sæculum.*

ACTVS OBLATIONIS.

Ap: 1. PRimum principium, & centrum ultimum rerum omnium *Alpha & Omega*, DEUS meus, tibi omnia debentur quia omnia tua sunt. Omnia igitur tibi, ac si mea essent, of-

fero, dono, ac dedico in æternum.

Et imprimis offero tibi Te ipsum; nihil enim est te ipso dignius: offero tuam excellentiam, Tuam Pulchritudinem, Tuam de te voluptatem, tuam tui laudem & amorem.

Offero Filii tui Unigeniti Redemptoris mei, Incarnationem, Vitam, *Passionem*, & mortem; eiusdemq; omnes excellentias, omnes virtutes, omnes actus Theandricos, labores, cruciatus. Offero illam ipsius oblationem quàm de se ipso Tibi fecit in instanti Incarnationis, in templo præsentatus, in ultima cœna, in ara crucis, & quam nunc ad dexteram tuam sedens facit, facietque in æternum.

Offero pretiosissimæ Virginis Deiparæ cor immaculatum

cum

cum omnibus ejus excellentiis, virtutibus, meritis, affectibus. Omnes item illius oblationes, præsertim illam, quam tibi ipsa fecit in sua immaculata Conceptione, in Præsentatione, in Purificatione, in Christi Filii sui Passione, ac deniq; in morte sua felicissima.

Offero omnium Sanctorum, Angelorum ac hominum laudes, Tui adorationes, amores, & omnes actus Virtutum Tibi sive in via, sive in Patria exhibitos, & tota æternitate exhibendos.

Offero omnium Electorum tuorum martyria, persecutiones, dolores, mortificationes. Omnia denique sacrificia seu cruenta, seu incruenta in toto orbe unquam tibi oblata & offerenda.

Quia verò ipse cum omnibus meis

meis bonis, Tuus sum creatione. Tuus conservatione, Tuus redemptione, Tuus Fidei professione, me quoq; totum Tibi, cum omnibus bonis meis internis & externis, in Sacrificium perpetuum trado, offero, immolo. Offero duo minuta, corpus & animam meam, ut Tibi serviam. Offero cor, ut te solum amem, & nihil aliud, nisi Te, vel propter Te. Offero memoriam & intellectum, ut nisi de Te, vel propter Te cogitem. Offero voluntatem, ut id velim quod tu vis, id nolim quod tu non vis. Offero omnes animæ meæ potentias internas & externas, ut eis utar ad delectandum Te: ad mortificandum me. Offero famam meam, honorem, divitias, sanitatem & vitam, ut de his omnibus disponas ad beneplaci-

ſum tuum. Offero omnes & ſingulas actiones & paſſiones meas totius vitæ, mortis & æternitatis.

Hæc omnia, offero Tibi DEUS meus, per manus immaculatas Virginis Matris Tuæ, unita Subſtantiæ, potentiis actionibus, & paſſionibus IESU Chriſti Domini mei, & Deiparæ Virginis, Sanguine eiuſdem Chriſti conſperſa manibus ſacroſanctis benedicta, in corde & vulneribus eius depoſita.

Offero autem in recognitionem ſupremi Tui Dominii & excellentiæ in omnes creaturas, & in proteſtationem meæ ſubiectionis erga te. Ad augendam gloriam tuam accidentalem. Ad dandam complacentiam guſtui Tuo Divino. Ad oſtendendam efficaciam Paſſionis Chriſti. Ad exhilarandam

totam

totam Ecclesiam triumphantem. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis. In satisfactionem pro omnibus peccatis. Ad impetranda mihi dona gratiæ & gloriæ, sicut tu ipse scis, potes, & vis. Utere me Domine ad exaltandum te, ad deprimendum me. Sim totus tuus nunc & in æternum.

ACTUS

Conformitátis cum Divina Voluntate seu Resignationis,

ADoranda, sapientissima, omnipotentissima, beneficentissima DEI voluntas, subjicio me tibi totum mancipioq; in æternum, & amplector omnes tuas de me, rebusque meis æternas ordinationes, idque ideo, quia sum tuus essentiali-

ter servus, quia nullus tibi resistere potest quia omnia de nobis sapientissime disponis quia nihil odisti eorum quæ fecisti, & omnia ex amore paterno, erga nos decernis. Itaque exuo me propria voluntate cæca, & nonnisi id quod noxium est, appetente, ut tuâ Divinâ regar Sapientiâ, ut cor habeam, secundum cor tuum, ut tua vivam voluntate. Hoc tantùm volo, quod tu vis, hoc nolo,

Lucæ 22. quod tu non vis. *In omnibus non mea, sed tua voluntas fiat.* Fiat ita ô Pater *sicut placitum fuit*

Matt: 11. *ante te* ab æterno. *Dominus es, fac quod bonum est in oculis tuis.*

1. Reg. 3. Vis me divitem aut pauperem, honoratum aut contemptum, celebrem aut infamem, *Paratum cor meum DEUS* Vis me sanum aut ægrum, lætum aut

Ps. 56. mærentem. *Paratum cor meum DEUS*

DEUS. Vis me diutiùs vivere,
aut citò mori; parùm aut multùm in virtutibus proficere,
parvam aut magnam gloriam
in cœlo consequi, *paratum cor
meum Deus.* Ecce ego servus
tuus, *fiat mihi secundum verbum,* Luc: I.
secundùm decretum tuum.

Resigno me adorandæ tuæ voluntati, ad inopiam, ad infamiam, ad contemptus, ad extremos dolores, ad mortem, imò usq; ad condemnationem æternam, usq; ad mei annihilationem.

Volo habere id quod habeo, P. Vin:
quia habeo quod volo, quia id Carafa
volo, quod tu vis. In omni e- Gene:
ventu sive prospero, sive adver- VII.
so, in solatio & afflictione, in S. I.
morbo & sanitate, in vita &
morte. *Benedicam Dominum o-* Ps. 33I.
*mni tempore, semper laus eius in
ore meo,* quia semper dignus est,

quia semper Pater est. *Dominus*
Iob. 1. *dat, Dominus aufert, sit nomen Domini benedictum.*

ACTVS OBEDIENTIÆ

Psal: 115 16. O *Domine ego servus tuus, & filius Ancillæ tuæ! nonne igitur Tibi subiecta erit anima mea?* En ex nunc, pro semper, subjicio eam altissimæ jurisdictioni Tuæ, supreme Legislator. Ac imprimis dispositionem voluntatis meæ, rerumq; omnium ad me spectantium, plane committo voluntati tuæ. Approbo omnia decreta tua, & ordinationes æternas de me, rebusque omnibus meis, quantumvis sensui meo repugnantes.

Volo integrè, promptè, hilariter, obedire tuis præceptis, Tuis consilijs, Tuis inspitationibus.

nibus. Volo etiam obedire propter te superioribus meis in omnibus, ubi peccatum non apparet integrè, promptè, ad nutum, obedientiâ cæcâ; idque Rom: propterea, quia omnis *eorum potestas est à Te*, quia in ijs Te 13. cognosco, quia volo imitari Christum pro me obedientem, usq; ad mortem crucis.

Doleo quod hactenus Tibi inobediens fuerim, quod *jugum tuum confregerim, dixerimq; non serviam*. Jer: 2. Pro omni mea inobedientia compensanda offero Tibi omnes obedientiæ actus Christi Domini, Beatæ Virginis, & Sanctorum, qui hac virtute floruerunt.

Domine da quod iubes, & iube quod vis, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es. Aug: Psal: 142

ACTUS CASTITATIS

Ap. 14. SEminator casti consilij DEUS, sponse & Corona Virginum, quem in cælo, novo cantico laudant Virgines; cui adeò Virginitas placuit, ut Matrem non aliam, nisi Virginem elegeris, qui Ioannem Apostolum, propter ejus castitatem, præ cæteris dilexisti; eumque tanquam gemmam pretiosam in pĕctore tuo collocâsti, ac denique eundem Virgini MATRI tuæ Tutorem & loco tui Filium, veluti Vice Christum reliquisti, æstimo & amo castitatem, quia Tibi adeò placet, quia summè placet Reginæ Virginum Matri Tuæ, quæ prima votô castitatis factô, hanc virtutem in mundo plantavit: quia

quia incorruptio nos facit Angelis æmulos, DEO proximos quia hæc virtus meretur specialem laureolam, & gaudium speciale per æternitatem: quia illô ineffabîli canticô Virginum, in sublimi gloriæ monte exhilarat cor DEI, & Beatæ Virginis ac totius Ecclesiæ triumphantis.

Idcirco immolo Tibi DEUS meus corpus meum, omnesque ejus voluntates, in holocaustum perpetuum.

Volo cum omni custodia servare cor meum immaculatum, ut sit speculum mundum, in quo tu DEUS videaris.

Volo Angelicam puritatem, mentis & corporis castitate imitari. Volo omnes occasiones huic virtuti contrarias evitare. Volo sensus omnes, tanquam mortis fenestras, cum

omni diligentia custodire.

Odi & detestor, quicquid An-
S. Casi- gelicæ puritati adversatur. *Ma-*
mirus. *lo millies mori quàm fœdari.* Pro-
testor coram te DEUS meus &
coram Sanctissima Virgine MA-
RIA, ac cœlesti curia universa,
quod quicquid unquam accide-
rit sive à carne, sive à diabolo,
tam in cogitationibus quàm in
affectibus & sensibus meis, casti-
tati repugnans, id non solum
præter, sed etiam contra meam
voluntatem erit.

Sap: 8. Quia vero *nemo continens esse*
potest, nisi tu DEUS dederis, ideo
per puritatem cordis IESU &
Psal: 50 MARIÆ, suppliciter oro, *Cor*
mundum crea in me DEUS, &
Spiritum rectum innova in visce-
Ps: 118. *ribus meis. Fiat cor meum imma-*
culatum in iustificationibus Tuis,
ut non confundar.

ACTUS

ACTUS HUMILITATIS

DEUS qui *humilia respicis, & alta á longè cognoscis, qui superbis resistis, & humilibus das gratiam,* ego pulvis & cinis, cum magna confusione mea, agnosco & confiteor coram te vilitatem meam. Agnosco quod ex me nihil sum, nihil habeo, nihil boni facio, nihil facere possum: ita ut sim *Nihil carne coopertum*. Agnosco in meo intellectu cæcitatem, in voluntate malitiam, pertinaciam, inconstantiam: in appetitu sensitivo, inclinationem ad malum, difficultatem ad bonum, in corpore continuam mutabilitatem, mortalitatem, totque alias indigentias, & miserias; sed longe magis confi-

Psal. 137.

P. Vinc. Carafa

teor

reor coram Te peccata mea, quibus tam longè *á te recessi in regionem dissimilitudinis*, ut meritò vocari debeam, non modò peccator, sed ipsum peccatum.

Augu:

Itaque coram Te DEUS meus, cum sim nihil, pro nihilo me habeo & contemno. Imò recumbens in novissimo loco, *pono me sub pedibus Iudæ proditoris*, meq; pejorem ipso reputo, ut potè quia à te pluribus beneficiis cumulatus. Te pluribus peccatis offenderim. Pono me sub pedibus mali Latronis, Tecum crucifixi; quia Tibi confixus Cruci, Te, in majori notitia tui, diutiùs operibus malis blasphemo. Pono me sub pedibus Luciferi, quia illius natura longè nobilior est, & malitia unico peccato contracto longè minor est, quàm mea

S. Franciscus Borgia.

mea. Pono me denique infra omnem creaturam irrationalem; qûia nulla creatura irrationalis est Tibi ingrata, nulla peccabilis; cùm ego tibi sim ingratissimus, & maximus peccator.

Quia verò omne malum meretur odium, & quia me nihil pejus esse potuerit, nihil peius esse possit, immò de facto nihil pejus sit, ideo me odio habeo; tanquam odio dignissimū.

Præterea me semper suspectum habeo, mihiq; in omnibus diffido, tanquam arundini ventô agitatæ, *tanquam baculo arundineo confracto:* ac planê despero de meis viribus, meritis, & virtutibus, utpotè in nihilo meo fundatis. Isa: 36.

Præterea negligo me, & mei obliviscor; cum sim objectum indignum memoriâ & providentiâ.

Præterea opto, in quantum id sinè peccato fieri posset, ab omnibus negligi, contemni, male iudicari, odio haberi, diffamari, & omnes contemptus, odia, iudicia, detractiones, volo hilariter pati, idq; ideo, quia his omnibus dignus sum, quia volo imitari Christum Dominum meum pro me contemptum, irrisum, conculcatum, consputum, male judicatum, diffamatum, opprobriis satiatum: quia volo obedire eidem Domino meo humilitatem præcipienti.

Deniq; nolo mihi ullis meis factis & talentis complacere, *& osculari manum meam*; nolo
Job: 31 gloriam apud homines, & honorem quærere, cum mihi sufficiat, *apud Te laus mea*, honor
Psal. 21 & gloria æterna DEUS meus.

Quòd verò aliquando me con-

contra Te erexerim, quòd glo-
riam tuam furatus fuerim, do-
leo super omnia: & pro omni
mea superbia, in eius compen-
sationem, offero tibi actus hu-
militatis Christi Domini, Bea-
tæ Virginis, & Sanctorum hu-
militate insignium.

Domine non veniat mihi pes Psal: 35.
superbiæ: non ambulem in ma- Psal: 30
gnis & mirabilibus super me; ut
promissa humilibus præmia fe-
liciter consequar

ACTVS PÆNITENTIÆ

BEnignissime DEUS, *qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat.* Ezech. 18. Ego indignissimus peccator, venio ad te cum filio prodigo ex regione longinqua dissimilitudinis, accedo cum fiducia ad

thronum gratiæ tuæ, fretus pie-
tate tua, ac misericordia infini-
Psal: 31. ta, *& confiteor tibi adversum me*
Luc: 15. *iniustitiam meam. Pater peccavi*
coram te, non sum dignus vocari
Psal: 50 *filius tuus. Tibi soli peccavi &*
Psal: 37. *malum coram Te feci. Iniquitates*
meæ supergressæ sunt caput me-
um, & sicut onus grave gravatæ
sunt super me. Peccavi super nu-
merum arenæ maris, & non sum
dignus videre altitudinem cœli,
præ multitudine iniquitatis
meæ, quoniam irritavi iram
tuam.

Ideo confundor & erubesco
coram Te, Domine DEUS me-
us, & cum *Publicano non audeo*
Luc: 18. *oculos in cælum attollere*; quia
tot peccatis animam meam con-
taminavi, meque exosum oculis
tuis reddidi: quia gratiâ & do-
Apo: 3. nis eius spoliatus sum, *pauper
nudus, cæcus, miser, & miserabi-
lis,*

lis: quia ex filio Tuo diaboli mancipium effectus sum; quia dissipavi substantiam tuam, quia sum reus mortis æternæ.

O Bonum omni amore dignissimum, retracto, damno, detestor omnia peccata mea, ac de illis doleo super omnia.

Doleo ex *motibo Spei*: quia amisi promissam mihi beatitudinem, ejusque privationem merui. Doleo *ex motibo Religionis*: quia peccata mea sunt irreverentia & contemptus Majestatis tuæ, ubique præsentis & omnia videntis. Doleo *ex motibo Iustitiæ*: quia Tuum ius proprietatis læsi. Doleo *ex motibo obedientiæ*: quia Tuis præceptis inobediens fui. Doleo *ex motibo gratitudinis*: quia peccata mea sunt ingratitudo pro tot beneficiis tuis. Doleo *ex motibo pænitentiæ*: quia honestū est dolendo

abolere peccata. Doleo *ex motivo omnium virtutum*, quia peccata mea sunt dissonantia rectæ rationi, & opposita virtutibus. Sed potissimum doleo *ex motivo charitatis* quia peccata mea sunt offensa bonitatis Tuæ infinitæ, tibiq; displicent, summo ac puro bono, quod super omnia diligo.

Psal. 118 Utinam verò *exitus aquarum deducant oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Utinam hoc lapideum cor meum aut dolore rumpatur, aut in lacrymas diffluat. Sed *quia anima*

Psa: 148 *mea sicut terra sine aqua Tibi*, assumo omnium pœnitentium cor contritum & humiliatum, assumo Petri, Magdalenæ, aliorumque lacrymas, dolores & gemitus, tibique offero pro defectu contritionis meæ.

Ah utinam te summum bonum

num meum nunquam offendiſſem! *Væ tempori illi, quo te offendi.* Ergo nunc ſit finis turpitudinis meæ. Dixi nunc cœpi. *Statuo firmiter cum gratia tua cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ*, malo mori, quàm fœdari. August. Pſ. 118.

Te miſericordiarum DEUS, procidens coram Te, cum *ſervo decem millium talentorum debitore*, & ſub pedibus tuis cum Magdalena gemens, ſupplex deprecor & per bonitatem cordis tui oro: *Miſerere mei, ſecundum multitudinem miſerationū tuarum, dele iniquitatem meam. Averte oculos tuos à peccatis meis & omnes iniquitates meas dele.* Marti 18. Pſa. 50

En in ſanguine pretioſo Filii tui, in eius paſſione, mihi balneum ad ablutionem peccatorum præparâſti: in hoc ergo ſanguine immergo fædam peccatis animam meam. *Amplius lava me*

Ibid.] *Sa me Domine ab iniquitate mea & à peccato meo munda me.*

Quia verò iustitia tua exigit
Matt: 18 debitam satisfactionem, *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Sed unde reddam inops & pauper? Reddam ex infinito thesauro meritorum & satisfactionum Domini mei IESU Christi; quas proinde satisfactiones & merita, cum meritis & satisfactionibus Virginis Deiparæ, ac Electorum tuorum Tibi offero in satisfactionem pro peccatis meis. Ipse quin etiam in unione istarum satisfactionum volo me punire offensas tuas mortificationibus meis. Volo pati omnia mala pœnæ, quæcunque immiseris, ut fiat satis justitiæ tuæ. *Iram tu-*
Mich: 7. *am portabo, quia peccavi tibi. Domine hic ure, hic seca, ut in æ-*
August *ternum parcas.*

AFFE-

AFFECTVS
Ad B. Virginem
Affectus Adorationis & Salutationis.

AUguſtiſſima cœli terræque Princeps, DEI MATER MARIA, ad Tuos pedes provolutus, ſaluto & adoro Te, omni illa adoratione hyperduliæ, cuius capax es: illa reverentia, quâ te ſalutavit Archangelus Gabriel & Sancta Eliſabeth; illô cultu, quô Te colunt Sancti Angeli, & homines Viatores & comprehenſores: illo honore, quo te honoravit in terris tuus *Filius tibi ſubditus*, & quo Te nunc honorat in cœlo: idque facio propter maximam poſt Deum excellentiam ſanctitatis & beatitudinis tuæ, pro-

Luc. 3.

Luc: 2.

propter admirabilem Maternitatem tuam, propter altissimum Dominium Tuum in Creaturas.

Adoro & saluto Te tanquam quartam in mundo personam Uni secundam Deo, tanquam primum obiectum creatum Divini amoris, tanquam *Matrem, in carne Filij Tui Deificā*, DEO-Homini imperantem; tanquam causam de congruo meritoriam omnis gratiæ & gloriæ puris hominibus collatæ, tanquam totius universi Imperatricem.

Aloysij.

Saluto & adoro Animam tuam, gratiâ plenam, tuum intellectum, tam scientia, in instanti conceptionis infusa, quàm Lumine gloriæ & Visione DEI illuminatissimum; tuam voluntatem impeccabilem, omnibus habitibus & actibus virtutum, ab ipsa conceptione Tua ornatissimam.

Salu-

Saluto & adoro tuum Corpus Sacratissimum, DEO-Homini in primo gradu consanguineum: Tuum cor semper immaculatum, semper amore Dei ardentissimum; Tua beata ubera, quibus Filium DEI lactâsti: Tuas manus, quibus eum portasti & amplexa es: Tuos pedes, quibus eum comitabaris: Tuum os, quo ipsi oscula imprimebas: Tuam linguam, quâ cum illo dulces sermones miscebas: Tuos oculos quibus illum amanter inspiciebas.

Saluto & Adoro.

Aula Regis æterni. Aug.
Altare Dei animatum. Mer.
Armarium vitæ. Chrisip.
Abyssus gratiæ. Damasc.
Animata Dei viventis arca. Dam.
Complementũ SS. Trinitatis. Epi.

Cælum

Cælum Solis iustitiæ animatum. Andr. Hierosl.
Domina rerum omnium. Damasc.
Domus Sapientiæ. Hieron:
Fons totius sanctitatis. Metho.
Forma DEI. August.
Firmamentum omnibus firmamentis firmius: Bern.
Gaudium omnium beatorum. Ber.
Habitaculum incomprehensibilis naturæ.
Inventrix gratiæ, genitrix vitæ. Bernar.
Liber incomprehensus Verbi. Epi
Mediatrix mundi. Bernar.
Magistra, illuminatrix Apostolorum. Idiotæ.
Magistra orbis terrarum. Cyrill.
Monstrum SSmum, & cæleste prodigium. Ignat: Mart.
Pratum totius fragrantiæ Spiritûs Sancti. Chrisipp.
Promptuarium divinæ charitatis. Method.
Propi-

Propitiatorium Universæ terræ. Bernar.

Palatium Regis *Angelorum animatum.* Chrysost.

Pelagus gaudii inexhaustū. Dam.

Reparatrix humani generis. Aug.

Restauratrix seculorum. Bern.

Receptaculū omnis puritatis. Ber.

Scala ad cœlos, & pons ad vitam. Augu.

Sacrarium totius Divinitatis. Petr. Damia.

Speculum Sanctitatis. Laur. Iust.

Templum gloriæ DEI *ornatissimum.* Andr. Hier.

Thesaurus omnis Sanctitatis Ber.

Ave Filia DEI PATRIS,
Ave Mater Filii DEI,
Ave Spōsa Spiritus Sancti
Ave Templum Sanctissimæ Trinitatis.

 AFFE-

AFFECTUS
Laudis & glorificationis.

GLoriosissima DEI Mater, laudo & glorifico Te omni laude, quâ digna es, quia *Te beatam dicunt omnes*, sive in cœlo, sive in terra *generationes*: Laudo & glorifico Tuam admirabilem Maternitatem: Tuam immaculatam Conceptionem: Tuam puritatem, *quâ maior sub DEO nequit intelligi*. Tuam Corporis pulchritudinem: Tuam Scientiam ab instanti Conceptionis infusam, & visionem beatam. Tuam gratiæ & gloriæ ac Virtutum excellentiam, supra omnium creaturarum gratiam, gloriam ac Virtutes; Tuum supra omnes creaturas dominium.

Lucæ 1.

Ansel:

Vel

Vellem si possem omnes laudes in Te congerere, quas totius Orbis incolæ, Tibi, unquam sive scripto, sive voce tribuerunt, tribuunt, & tribuent: adeoque; quas ipsæ tres personæ Divinæ Tibi tribuent tota æternitate.

Hoc ardentissimè desidero, ut ab omnibus Creaturis rationalibus summè post DEUM lauderis & glorificeris, in æternum: atque, pro defensione, & dilatatione gloriæ tuæ, sanguinem fundere & mortem oppetere paratus sum.

AFFECTUS
Amoris & appretiationis.

PRetiosissima, admirabilis, amabilissima *Mater pulchræ dilectionis*, amo te, summè post Eccl. 24 Bernar.

 DE-

DEUM, *totis medullis cordis, totis præcordiorum affectibus*, amo Te amore mihi possibili, Tibi gratissimo, amore illo quô digna es, idque propter summam post DEUM bonitatem, pulchritudinem, humilitatem Tuam, tam naturalem quâm supernaturalem: quia *es Optimum purum creatum*, id est, Summum bonum post Christum: quia es primum obiectum creatum amoris Divini. Appretio Te & æstimo plus, quàm amicos & cognatos meos. Plus quam honores, opes, vitam, sanitatem, mundum, universum: ampliùs quàm res omnes, sive in cœlo sive in terra, creatas: plus quàm Sanctos homines, & Angelos universos: idque ideo, quia Tibi uni plus se communicavit Divina Bonitas, quam omnibus creaturis simul sumptis.

Bernar: tom: 1 ser. 61.

Desig

Desidero amare Te, si fieri posset, amore illo, quo Te amant & amabunt in æternum, omnes Electi; amore, quo Te amat Humanitas assumpta Filii Tui; illo amore, quo te amat SS. Trinitas. Si mille, si infinita corda haberem. Benedictum Cor Filii Tui, quod defectus meos supplet amando Te infinitè: hoc tibi cor dono & offero eiusdemq; affectu Te diligo.

Utinam te orbis universus agnoscat, colat, amet, quantum capax es. Volo id procurare, etiam cum dispendio vitæ meæ, & omnium bonorum temporalium. Protestor coram Te ô Virgo incomparabilis, quod paratus sim potiùs gehennam subire, quàm minimam iacturam gloriæ Tuæ pati.

AFFECTUS
Gratulationis.

O Mare gratiarum MARIA, gaudeo & gratulor Tibi de omnibus Tuis excellentiis, privilegiis ac donis naturæ, gratiæ, gloriæ. Gaudeo de Tua prædestinatione, qua prædestinata es in mente DEI simul cum Christo, ante omnes creaturas ordine dignitatis, tanquam Mater DEI, tanquam finis proximus & Domina Universi, tanquam causa de congruo meritoria prædestinationis nostræ: tanquam Mater Electorum, quos Deo prædestinanti præsentâsti.

Gaudeo de admirabili Tua Maternitate, quòd sis Mater DEI naturalis, ac proinde *infinitæ quodammodo dignitatis* Mater cui Deus Homo fuit subditus

S. Tho. 1. part. Qu. 75 art, 7.

ditus, Mater Deifica, id est, secundum aliquam Tuæ carnis portionem in carne DEI Filii Deificata: quòd sis consanguinea in primo gradu Christi quâ Hominis: & affinis in primo gradu eidem quâ DEO: quod sis comparentalis DEO Patri, ut potè eundem cum ipso habens filium: quòd sis Sponsa Spiritus sancti: quod denique sis *Complementum SS. Trinitatis.*

Gaudeo de Tua puritate, quòd sis præservata ex meritis CHRISTI non solùm à peccato originali, sed etiam à debito proximo illud contrahendi; quod sis semper libera ab omni peccato actuali etiam veniali; quòd per gratiam CHRISTI facta sis moraliter impeccabilis,
ita ut nec possis, nec potueris un- Anto.
quam peccare: quòd tota vita par: 4.
tua fueris libera à fomite pec- tit. 16.

cati, à passionibus à tentationibus internis.

Gaudeo de gratiæ Tuæ plenitudine, quod gratiam sanctificantem habueris maiorem omnì gratiâ Angelorum & hominum collectivè sumptorum; quòd habueris omnes gratias gratis datas; quòd sis Inventrix

Idiota gratiæ; quòd sis *thesauraria &*
Bernar: *dispensatrix gratiarũ ita ut nulla gratia de cælo in terram veniat, nisi transeat per manus tuas* quòd denique tanquam Sponsa Spiritûs Sancti, *habeas quandam*
Bernar: *iurisdictionem in omnes temporatom: 1. les processiones Spiritûs Sancti,* &
ser. 6. gratias.

Gaudeo de omnibus Virtutibus tuis, quòd eas habueris origine Maternitatis altissimas, in gradu perfectissimas, in instanti Tuæ Conceptionis infusas, singulis vitæ mortalis momen-

mentis crescentes, Voto confirmatas, puras ab habitibus contrariis, liberas à passionibus, heroicas, Angelicas, exemplares.

Gaudeo de Scientia tua naturali & supernaturali, in instanti Conceptionis infusa, de tua fide, à sensibus & phantasmatis independente de frequentibus revelationibus extra Verbum, de cognitione experimentali Verbi Incarnati, de visione beata in Verbo, *quâ aliquando* Hiero: *fruebaris.*

Gaudeo de Tua eminentia, quod sis *Forma DEI*: id est, secundum exemplar & Idea DEI post Verbum; Compendium totius perfectionis universi. Prima Persona creata, cooperatrix CHRISTI in opere Redemptionis.

Gaudeo de Tua gloria, qua

ita

ita excedis gloriam Omnium Beatorum, sicut *circumstantiæ centrum*; quod sis coronata à Patre æterno, honorata à Filio, dotata à Spiritu Sancto; quod sis gloriosissima in dotibus corporis, gloriosissima in omnibus aureolis, gloriosissima in proprio throno, ita ut immediatè sub Hierarchia increata Sanctisiimæ Trinitatis, sola constituas superiorem omnibus Angelis Hierarchiam creatam.

Gerso. tom. 3. supra Magnificat.

Gaudeo quod habeas dominium, æquale tuæ voluntati *ita, ut si velis, nequaquam fieri non possit*: dominium sinè indigentia, dominium sinè subiectione ulli creaturæ.

Ansel:

Has omnes perfectiones Tibi ô Virgo & Mater DEI Incomparabilis, toto corde faveo, ac si meæ essent: quin eas Tibi potiùs faveo quàm mihi, quia

plasu-

placuit DEO eas Tibi dare, non mihi. Immo si aliquam perfectionem haberem, qua tu careres, vellem illa privari, ut tu eam haberes; mallemque non esse, quàm in Te, aliquid boni quod habes, non esse.

ACTVS
Gratiarum actionis.

BEneficentissima DEI Mater, tota cordis demissione, gratias tibi ago pro omnibus affectibus & obsequiis Christo Filio Tuo impensis: pro concursu Tuo ad Incarnationem Verbi Divini, ad existentiam SS. Sacramenti, ad redemptionem nostram, pro amore, quo amas & in æternum amabis DEUM nostrum, pro impetratis cuicunque, & de congruo promeritis, omnibus donis naturæ, gratiæ, gloriæ. Denique ago gratias Tibi, quod sis Mater

nostri amantissima, Domina providentissima, Advocata apud DEUM fidelissima.

AFFECTVS
Oblationis,

DIgnissima DEI Mater, non sum dignus vocari Filius tuus, fac me obsecro unum ex mancipiis Tuis. En corpus & animam meam, spes & omnes res meas. Tibi devoveo & mancipo in æternum, ut Tibi vivam, moriar Tibi, æternum Tuus. Offero me Tibi ad patiendum quodvis pro defensione & augmnento gloriæ Tuæ, ad omnes labores superandos, & ipsam mortem.

Offero tibi omnes totius temporis & æternitatis actiones & passiones meas ut augeatur gloria tua accidentalis, ut manifestetur amplius nomen Tuum

Tuum, ut creetur amplius & amplius in corde Tuo gaudium accidentale.

Sed quia hoc parum est magnitudini Tuæ. Offero Tibi omnia omnium Tuorum Clientum corda, affectus & obsequia, quæ unquam Tibi facta sunt, & fiunt, & quæ fieri velles. Præterea offero Tibi cor Filij Tui cum omnibus affectibus erga Te, in illo flagrantibus, & cum omnibus obsequiis, quæ ipse Tibi in terra exhibuit.

Cum hoc vero Corde IESU purissimo, & Tuo, offero Tibi cor meum impurum, ut mihi impetres Puritatem mentis & corporis. Cum corde IESU mortificato & Tuo, offero Tibi cor meum immortificatum, ut mihi impetres mortificationem carnis, & spiritûs. Cum corde IESU & Tuo humillimo

offero Tibi cor meum omni plenum vanitate, & superbia, ut mihi impetres veram humilitatem. Cum corde IESU & Tuo illuminatissimo, offero cor meum obscuratum, ut mihi impetres vivam fidem. Cum corde IESU & Tuo, per spem bonorum cælestium elevato, offero cor meum ad terram inclinatum, ut mihi impetres spem firmam. Cum corde IESU & Tuo, DEI amore flagrantissimo, offero cor meum frigidum, ut mihi impetrès ardentem DEI & proximi charitatem.

AFFECTVS

Fiduciæ.

Eccl. 22 MAter Sanctæ Spei, in Te omnis spes vitæ & virtutis, Tu es maxima post Deum mea fidu-

fiducia & tota ratio spei meæ. Bernar.
Spero igitur per merita Tua,
& intercessionem, omnia bona
temporalia & æterna. Spero
remissionem peccatorum, grati-
am & vitam æternam, idque i- Suar.
deò quia es Advocata nostra Dis. 33.
potentissima, quæ plus potes sect. 3.
sola, quàm omnes Sancti simul;
quia es Mater misericordiæ:
quia es Thesauraria gratiæ li- Bona-
beralissima *in Te dulcis MARIA* ventura
*speramus, nos defendas in æter-
num.*

AFFECTVS
Petitionis.

MAter misericordiæ, in nomine IESU Filii Tui, per bonitatem cordis Tui, Te oro suppliciter, *Monstra Te esse Matrem,* in omnibus meis necessitatibus spiritualibus & corpora-

S. Fran-bus. *Mater Dei memento mei*: & Xaverigimpetra mihi apud Tuum Dile-
ctum Filium veniam peccatorum, gratiam efficacem ad vincendas tentationes, horrorem peccati mortalis, imitationem tuarum Virtutum, præsertim Castitatis, finalem perseverantiam in gratia, & mortem felicem, *O MARIA sis mihi propitia* in vita morte mea, & æternitate.

B. Stanislaus Kostka.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0029441




37